

Ne proinde ob haec obstacula Partes Causantes debita Justitiae Administratione destituantur, id pro nunc pro sublevamine ejusmodi Causantium, et celerius adipiscenda Justitiae Administratione, interimaliter, et usque ad ulteriorem Benignam Dispositionem nostram (salvis caeteroquin antelatarum Civitatum de Foro Appellationis sonantibus Privilegijs) clementer resolvimus et Comiti Tavernicorum nostrorum Regalium Magistro, Tenore Benigni rescripti sub hodierno Dato expediti, commisimus, ut Idem, sicut in Hungaria, ita in Croatia etiam, Vice-Tavernicorum Regalium Magistrum, qui ibidem Causas omnes Civiles in praefatis Civitatibus et respective oppido ventilatas et maturioris Revisionis gratia ad Forum Superrevisorium appellatas, Lege, Consuetudine et Activitate in Regno Hungariae observata, de Tempore in Tempus, convocatis illarum Civitatum Senioribus revidere possit, et revisas, memorato Comiti Magistro Tavernicorum Regalium ad Statum Notitiae in Extractu communicet, mox et quocitius denominare, ac Officij Sigillum Eidem consignare, Majestatemque Nostram desuper pro faciendis apud antelatas Civitates Dispositionibus informare debeat; Quam Benignam in praemissis interventam Resolutionem nostram Fidelitatibus Vestris ad Statum Notitiae Clementer intimantes, lisdem in reliquo Gratia et Clementia nostra benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die Tertia Mensis Junij Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimo nono.

Maria Theresia m. p.

Comes Ludovicus de Nadasd m. p.

Andreas Moruz m. p.

*A tergo:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae universis Statibus et Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

Zagrabiae. Ex Officio.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1749. Nr. 45.